



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

VII. De Promiſſione Euangelij, & de discrimine Legis & Euangelij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

Angelis eius. Et 2. Pet. 2. Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed catenis tenebrarum in tartara precipitatos tradidit in iudicium &c.

Maledicatur autem serpenti quoq; propter diabolum, qui serpente ad suum scelus abusus erat, & tamen figurate sub ista serpentis maledictione, aeterna Diaboli poena est intelligenda.

VII.

DE PROMISSIONE
Euangelij, & de discrimine Legis & Euangelij.

Mirando & inenarrabili consilio diuinitatis ab aeterno, & conditum est decretum, ut filius Dei fieret deprecator ac uictima pro genere humano in peccatum ac mortem lapsus, & postea in Paradiso prolata est promissio reconciliationis, ignota omnibus creaturis, qua Deus testatus est, se primos parentes recipere in gratiam, & deleturum esse peccatum ac mortem, & instauraturum iusticiam ac uitam propter uenturum Semen mulieris. Ac immensa amplitudo misericordiae diuinae, & ingens ira aduersus peccatum praecipue conspicitur, quod Deus & recipit homines lapsos, cum iusticia eius sit immutabilis, et sic recipit ut Filius fiat uictima. Hoc mirandum consilium de receptione generis humani

K 3 superans

superans omnium creaturarum sapientiam, primis parentibus patefecit filius Dei, proferens ex arca sinu aeterni Patris hanc promissionem, Semen mulieris conteret caput serpentis. Etsi autem hæc tota ratio impijs ridicula & fabulosa uidetur, tamen percernunt hanc primam promissionem res grandis proponere, & continere summam Euangelii & omnium concionum Propheticarum & Apostolicarum fontem esse. Quare à nobis quoque diligenter euoluenda est.

*Primum autem Legis & Euangelii
quatuor discrimina considerentur.*

I. A forma noticiæ sumptum est, Lex enim in prima conditione hominum mentibus insita, & omnibus naturaliter nota est, ut inquit Paulus, legem in cordibus scriptam esse. Vult enim Deus hanc noticiam Legis in natura esse, ut extet æternum & immutabile iudicium Dei, cuius norma est hæc regala. Natura rationalis lege obligata est, uel ad obedientiam uel ad pœnam.

Euangelium uero (quod est gratuita promissionis peccatorum, iusticiæ & uitæ æternæ propter Christum credentibus donandæ) nullis Angelis aut hominibus naturaliter notum est. Sed per filium Dei in Paradiso reuelatum, ut dicitur Ioban.

Filius
autem
tum
non
ex leg
ri po
filius
tesac
II.
de bo
tiona
hæc
præst
E
missio
grati
pletic
solum
III.
hypo
dine
citur
fit ex
catum
lutem
lege
cipi d
Filius

Filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit nobis. Erit autem illustrius hoc discrimen, si primorum parentum historiam intuebimur. Hi cum lapsi essent, quia nondum edita erat promissio Euangelij, nihil aliud ex lege ipsis insita, & diuina accusatione ratiocinari poterant, quam se in æternum abiectos esse, donec filius Dei consolationem de uenturo liberatore patefaceret.

II. A forma promissionum. Legis promissiones de bonis corporalibus, & de uita æterna sunt conditionales, & postulant perfectam obedientiam, quam hæc misera hominum natura peccato deprauata prestare non potest.

Euangelij autem promissio est gratuita, & remissionem peccatorum, iusticiam & uitam æternam gratis exhibet credentibus, non propter nostram impletionem legis, aut nostram dignitatem, sed propter solum Christum.

III. Ab effectu. Lex sine Euangelio efficit uel hypocrisin in animis hominum, uel ostensa magnitudine peccati, adigit mentes ad desperationem, ut dicitur, Lex iram operatur, & per Legem peccatum fit excellenter peccatum. Item, Aculeus mortis peccatum est. Sed Euangelion est potentia Dei, ad salutem omni credenti, erigit & consolatur mentes lege perterrefectas, flectit corda, ut statuunt se recipi à Deo, & consequi remissionem peccatorum, et

K 4 uitam

uitam eternam gratis & c. ut dicitur Iohan. 1. Gratia & Veritas per Iesum Christum facta est.

IIII. Ab Obiecto. Lex iniustis posita est, uidelicet Epicureis & Hypocritis, quos accusat & condemnat. Euangelium uero proponendum est agentibus poenitentiam & perterrefactis uoce Legis, & querentibus consolationem. Hec discrimina consideranda sunt, ut accuratis & perspicuis limitibus haec duo genera doctrinae, Lex & Euangelium discernantur, Quorum confusio perpetuis tenebris totam Ecclesiam inuoluit.

VIII.

DE PERSONA Christi.

Luculenta descriptio Personae CHRISTI ex uerbis primae promissionis extruitur. Semen enim perpetua phrasi scripturae significat naturam humanam, integram, & habentem omnes uires ac appetitiones naturae humanae proprias. Docet igitur haec particula promissum liberatorem assumpturum esse naturam humanam. Cumque mulieris Semen concipitur, manifestum est eum sine commixtione uiri Spiritus sancti efficacia concipiendum, & ex uirgine nasciturum esse, ut Esaias hanc particulam interpretatur cap. 7. Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & uocabitur nomen eius Emanuel. Et Gal. 4.